

Beiband 2

H.1 S. 33

[Um 1266].

102

Die Archidiaconate des Bistums Paderborn erlassen eine Kundgebung über ihre Vollmachten und besonders die Handhabung ihrer Gerichtsbarkeit. Hinricus Dei gratia prepositus, archidiaconus sedium prepositure Paderbornensis et Huxarie; R(abodo) decanus, archidiaconus in Detmele; E(verhardus) archidiaconus Hervordensis; magister Jo(hannes) decanus Hilden. et archidiaconus sedium in Wartberg et Stenhem, W(alterus) thesaurarius archidiaconus in Limego; B. scholasticus archidiaconus sedis in Hareh(usen); Otto camerarius, archidiaconus in Brake; Th(idericus) prepositus sanctorum apostolorum Petri et Andree in Pader(born), archidiaconus sedis ad eandem preposituram pertinentis et capitulum Pader(bornense) universis plebanis, presbiteris, ecclesiarum rectoribus et laicis diocesis Paderbornensis presens scriptum visuris utriusque vite salutem. Noverint universi, quod a tempore, cuius non exstat memoria, et secundum canonicas sanctiones has habuit ecclesia nostra consuetudines et adhuc habet et quod in sinado episcopali nunc domini nostri episcopi, ut patet in litteris ipsius super hoc confectis, et etiam temporibus predecessorum, suorum prelatis, plebanis, sacerdotibus, laicis approbantibus exitit sententiatum, quod scabinus de aliquo concivio et cives interrogati ab archidiacono, scabinus sub iuramento prestito, cives sub christianitate de aliquorum suorum concivium excessibus, de quibus gravis orta est suspicio, nolunt vel non audent propter timorem vel favorem denunciare vel accusare, quod archidiaconus loci vel suus nuncius contra taliter diffamatos potest ex nomine procedere, ut se expurgent secundum consuetudinem sinodalem, vel reos reddant, quod statutum concilii Maguntini per dominum Alexandrum papam confirmatum et approbatum declarat, ubi dicit de usurariis: Qui vero de usure vicio sola sunt suspicione notabiles, nisi datis sibi super hoc a prelatis, plebanis, sive vicariis terminis se ab huiusmodi obiectis legitime coram ecclesia expurgaverint et debitores usurarum et fideiussores^{re} datos forsitan super eis absolverint, simpliciter et publice excommunicentur nominatim. Et ut sciatur ius sinodale, secundum quod nostri predecessores servaverunt et adhuc nos servamus, quod si qui sunt accusati, vel si archidiaconus vel suus nuncius contra aliquos quasi notorie diffamatos processerit ex nomine, ut se expurgent, vel reos reddant secundum consuetudinem sinodalem, si sunt ministeriales, se duodecima manu expurgabunt, litones vero et cerocensuales ignito ferro suam faciant expurgacionem, nisi archidiaconus suam gratiam dignetur adhibere, que auctoritas apud ipsum plenissime residebit. Item plebani, presbiteri in archidiaconatu alicuius constituti coram archidiacono sunt convenienti et archidiaconi, si volunt, possunt ipsos et etiam laicos ad suam presentiam ad ecclesiam Pad. citare et super excessibus sacerdotum, si sunt enormes, possunt eos ab officio suspendere, interdicere et excom-